



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Clara Et Praeclara Methodus Parandæ Eloquentiæ,
Secundùm Doctrinam & Præcepta Cypriani Soarii è
Societate Jesu, Ad Captum Et Praxim Faciliorem
Accommodata**

Worpitz, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Caput 26 [i. e. 25]. Quot modis faciant figuræ verborum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68908)

CAPUT XXV.

Quot modis fiant figura verborum.

Quemadmodum vestis pretiosa decorem homini confert, & ornamentum; sic figura venustatem specialem orationi; ob quod etiam à Græcis figura dicitur, *schema*, id est, *habitus*, qui propriè primùm corporis est, deinde ad animum transfertur. Sicut autem habitus, ac vestitus personæ primùm incurrit in oculum, deinde in personam vertitur obtutus; si figura verborum prius aures ferit, ac aures permeando, descendit ad animum, qui verborum ductu ad sensum & significationem progreditur. Quæ causa est, ut author prius agat de figuris verborum; deinde verò de figuris in sensu. Rectissimè autem, & ad captum, in tres dividit classes, omnem figurarum in verbis apparatus, dum ait, *tribus maxime, & præcipue* (quod addit propter ultimas aliquot v.g. correctionem, dubitationem) *fieri modis. Adjectione, detractione, similitudine.* Adjectione fit, quando idem verbum, seu *eadem vox* sæpius ponitur: dico *eadem vox*, si enim alia adjiciatur, vel similis, non est figura per adjectionem. Detractione fit, quando vox ad constructionem syntacticè perfectam, necessaria, committitur, semel, vel sæpius. Unde sicut prior facit additionem Arithmeticis notam, ita hæc subtractionem. Similitudine

326 De Exornatione Argumentat.
fit, quando vox non jam eadem, sed similis
tantum priori in syllabis, & litteris apponi-
tur. Hæc amplius patebunt exemplis in se-
quentibus.

CAPUT XXVI.

De figuris, quæ fiunt per adjectionem.

Omnes figuræ primi generis repetunt eadem
verbum: prima quidem in principio constru-
ctionis, altera in fine illius, tertia in principio
simul, & in fine, quarta seu conduplicatio, pro-
miscuè & ubicunque manente tamen eadem
significatione vocis; Traductio etiam ubi-
cunque sed cum variatione, & mutatione
significationis aliquali, vel totali. Polypoton
cum mutatione casuum. Synonymia eandem
significationem repetit, mutatis verbis; poly-
syndeton eandem conjunctionem. Gra-
datio vocem priorem repetit, cum aliquo af-
censu vel descensu ad ulteriora. Omnes
igitur figuræ primi generis dici possunt re-
petitio: hoc tamen nomen soli primæ fi-
guræ attribuitur per excellentiam, & An-
tonomastiam, sicut nomen translationis
metaphoræ: est enim hæc figura inter illas
princeps; eò quòd in principio reperat.
Unde definitur: est figura verborum, quæ
idem verbum sæpius ponit in dictionis, seu
sermonis principio. Aliis dicitur anaphora,
aliis epanaphora, aliis diplosis anaphorica,
aliis parisosia, aliis aliter; sed hæc alibi legen-
tem